



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

5. de conuersione & auersione Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

nis: & ita aliter beati non fuerunt, quàm reliqui qui ceciderunt. Mihi autem probabilius est, quòd incerti fuerunt boni suæ beatitudinis futuræ.

CAP. Secundum. *Angeli ante confirmationem in bono aut malo erant perfecti.*

Perfectum tribus modis dicitur. Est enim perfectum secundum tempus, quod habet quicquid tempus requirit, & conuenit secundum tempus haberi, & sic erant Angeli perfecti ante confirmationem vel lapsum. Et perfectum secundum naturam, quod habet quicquid debitum est & expedit naturæ suæ ad glorificationem. & sic etiam fuerunt perfecti post confirmationem, & sancti post resurrectionem. Est & perfectum uniuersaliter & summè, cui nihil vnquam deest, & à quo uniuersa proueniunt bona, quod solius Dei est. Prima perfectio est naturæ cõditæ. 2. naturæ glorificatæ. 3. naturæ creatæ.

DE CONVERSIONE ET
Auerfione Angelorum.

DISTINCT. Quintæ

CAP. Primum.

Post creationem mox quidam angelorum conuersi sunt ad creatorem suum, quidam autem auersi.

E P I T O M E

Qui charitate Deo adhæserunt, cōuer-
si fuisse dicuntur: illiq; sunt à Deo illu-
minati, gratia apposita. Qui verò
odio habuerunt, vel inuiderunt, auersi fuerunt,
ac proinde excæcati, non immisione ma-
litiæ, sed desertione gratiæ. Conuersio por-
rò quæ iustos fecit, & auersio iniustos, vtra-
que fuit voluntatis. poterant enim voluntate
eligere quodlibet, & ratione iudicare, id est
discernere. in quibus constat liberum arbitrium.

C A P. 2. Indigebat Angelus gratia cooperante,
vt ad Deum conuerteretur.

Angelis collata est gratia cooperans, si-
ne qua non potest proficere rationalis
creatura ad meritum vite. Non autem
indigebat Angelus gratia per quam iustifi-
cicaretur, quia malus non erat. Operans autem
gratia dicitur, qua iustificatur impius, id est
de impio fit pius. Cooperans verò, qua iuuat-
ur ad bene volendum, efficaciter operandum,
& perseuerandum in bono.

C A P. 3. Angeli in conuersione fuerunt beati,
& per eam beatitudinem meruerunt.

Quod in ipsa cōfirmatione Angeli fue-
runt beati, plures cōtestantur authori-
tates. & ideo pro cōstanti habendu-
m est. Sed an eam meruerint beatitudinē,
ambiguum est. Quidam dicunt quod me-

*folio 92 b.
linea 22.*

*conuersio r.
auersio .f. 145. b.
p. 753. a. Causa con-
uersionis et
auersionis.*

*Gratia
cooperans.*

*in Hieron. sum
op. 231. a. 17.*

*Quid gra-
tia operans
& coope-
rans.*

*Iob
Ex
28

H
sup
15
L
E*

ruerint per gratiam in cōuersione habitam, ideoque in eis simul fuisse meritum & præmium. Aliis dicentibus quòd eam meruerūt non per gratiam in confirmatione habitam, quæ erat illis data, non ad merendum, sed beatè viuendum, sed per sequētia opera, nēpe obsequia nobis exhibita, per obediētiam Dei, & reuerentiā: & ita præmium præcessit merita. & hoc mihi maximè placere fateor.

*Gratia ad magis
Ihu ad humilitate
In.*

*Inter articulos magi
strū vide. I
ex. 2. lib.*

DE CONSEQUENTIBVS auersionē Angelorum.

DISTINCT. Sextæ
CAP. Primum.

Summus inter Angelos cecidit.

PRæterea scire oportet quoniā sicut de maioribus & minoribus quidā perstiterunt, ita de utroq; gradu quidā corruerunt: inter quos, omnibus aliis cadentibus, vnus fuit excellentior, nec inter stantes aliquos eo fuit dignior, sicut testimoniis auctoritatū mōstratur. Ait enim Iob, Ipse principium viarum Dei: & Ezechiel, Omnis lapis preciosus operimentum eius, id est omnis Angelus quasi operimentum eius erat: quia (vt dicit Grego.) in aliorū cōparatione cæteris clarior fuit. Vnde vocatus est Lucifer, sicut testatur Esaias, Quomodo (inquit) cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Con-

Iob. 4.

Ezech.

28.

Ho. 28

super

15. c.

Lucæ

Esa. 14